

Cracov. Acad. Univ. Szcol.
Promotiones Philos. Bd.,
1746 d. 5 men Novembe.



Kat. Komp.

3419

III. Mag. St. Dr.

P

Początek 2879.

Bajer Joan Nepi Fluvii austriaci et gemmiferi
eruditae in proterum virtutis VIII. Vs. Bd. pri-
mae laurea Candidatorum effudit

...

天.

FLUVII

Auriflui & gemmiferi,

Eruditæ in pretium virtutis

VIII. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatorum,

EFFUSI.

ac dum;

In Alma Universitate Cracoviensi,

Per

Clarissimum ac Excellentissimum Dominum,

D.M. ANTONIUM

MICHALSKI,

Philosophiæ DOCTOREM & PROFESSO-
REM, Collegam Minorem,

Præsentem Magnorum Hospitum Coronâ,
Artium Liberalium & Philosophiæ Baccalaurei

Ritu solenni crearentur;

et

JOANNE NEPOMUCENO

BAJER,

Ejusdem Laureæ Candidato,

Artificiô Pœticô

EDUCTI.

Annô Domini 1746 Die 5ta Mensis Novembris.

CRACOVIAE, TYPIS UNIVERSITATIS.

Tomus Libro Amo.

R.



Phæbo sacrauit lauros veneranda vetustas;
 Nostra dicata esto, Laurea ROCHE Tibi;
 Tu plusquam Phæbus, plusquam Divinus Apollo,
 • Illam præsiديو. protege posco, Tuô. 3419 III

AD DIVINISSIMUM ROCHUM.

Singularem ab Epidemia
PATRONUM

Prophasis Dedicatoria.



*Præsentem Philosophicam Lauream, ex umbroso
Academæ assumptam luco, sub magnas Illustri-
um Nominum non defero umbras, Academicæ
Corymbum Regali D. Fagelonis in Parnasso
receptam, inter augustos Principum lares,
inter coronata triumphalibus atria non appendo
trophæis, sed eandem ad Sancti Tui Nominis Aram, quam pient-
tissimæ singulari sanctimoniâ vitæ, quam Angelicis in hominum
consortio Tuis meruisti actibus, Cælo coronate toto, Orbe terra-
rum integro æquè venerande ac celeberrime ab Epidemia Pa-
trone D. ROCHE, profundissima cum veneratione pro de-
voti anathemate pectoris repono. Quid enim vero est protectio-
ni se committere humanæ? Est splendorem sperare ab umbris, est
contra idus & vulnera confossum induere clypeum, est solidum ab
arundine levi expectare fulcrum, est contra pluvium Jovem,
nubiliq; injurias Cæli rimoso pariete defendi. Admodum lubri-
cus evadendi ad altiora gradus, cui humana pro basi obtenditur
protectio. Admodum debile prosperioris argumentum fortunæ,
quod terreno petitur & desumitur à Patrocinio. Tuum Divi-
nissime Patrone Nomen, fastis Beatorum inscriptum, inter
Cæli sidera, inter æternos Sanctorum fulgentissimum splendores,*

meis in Alma Scientiarum Matre progressibus, meo in Philosophia
 primo gradui, meæ novellæ Laureæ, unicum decus, firmissimum
 Columnen & præsidium esto Antesignana protectione Tuâ quid
 ulterioribus non prosperum in progressibus? quid altiori lubricum in
 gradu? quid in laurea noxium? quid funestum expavescam? Non
 in fluxu aquæ elemento, sed perennibus beneficia Tua in marmo-
 ribus sculpsit Aqua pendens, famosa Hesperia Civitas, quam fuis
 ad DEUM precibus pestifera depurgasti à lue. Splendidas Aras,
 pluresq; basilicas Aedes, Sancto Tuo erexit Italia Nomini, quæ
 contagioso pestilentia correpta æstu, ne penitus conflagrasset, fer-
 ventissimis effecisti Orationibus. Habes perennaturas in Aenea
 Columnas, habes magnifica Placentiæ Altaria, Orbe in integro sunt
 Tibi præcipui plausus, sunt sacri cultus & honores. Evicit eos
 & immortales faciet, illa quam in desperatis hominum rebus præ-
 stabas & præstare non desinis protectio. Triumphali Crucis vi-
 ctoriosæ insignitus Trophæo, materno in Orbem ab utero effusus,
 vitam inter homines agens, mortem propulsabas ab hominibus,
 quod non opis erat humanæ. Inter Cæli incolas adscitus, sola Livi
 invocatione Nominis, Epidemicos curas languores, lapsas consolidas
 vires, letos à letho educis Clientes, liberas à morte, in circuitu
 mortis ambulantes. Sancto ergo Nomini Tuo, ad cuius tri-
 umphalem tesseram, ipsis trophæa sumere de fati, medijs vtrices
 laureas colligere de taxis, tot devotis Clientibus concessum est,
 novellam Lauream, primum Philophici Insigne honoris, cum pro-
 fundissimo dedico & consecro cultu. Tua sub protectione erit mea
 Corymbus, fatorum quovis à fulmine tuta. Fovebu devotum
 Sacri Nominis Clientem gratioso & efficaci Tuo Patrocino.
 Huic me, meosq; reddendo Parentes, meo & Eorum Nomi-
 ne ad Aras Tuas Clientale anathema appendo.

F L U V I I

Auriflui & gemmiferi

Eruditæ in pretium virtutis

VIII. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatorum

E F F U S I.

I. V. D. GASPARO SZASTER

PATRITIO CRACOVIENSI.

Pactolus Fluvius Lydiæ.

Cum Lemmate: *Pretiosus dives arenis.*

Castalium pete penna vadum, sacriq; fluenti
 Largifluos hauri latices, & divitis alvêi
 Flumina Parnassi circum spumantia colles,
 Obsequiis undare novis in carmina coge.
 Ordine nam primus tum primo SZASTER honore
 Dignus, ut elogiis scribatur; quanta meretur
 Fontibus hyblæis decurrat, suada necessum.
 Plenis, & calamum fecundent Castalis undæ.
 Regia præclaros Vrbs Huic dedit Ipsa Penates,
 Clima Viros pariens magnos, & dotibus amplis
 Ingeniô doctô, generosa & mente beavit.
 Ortus Avis dignis, præclaro Consule natus,
 Quo Pater Æneas & Avunculus excitat Hector,
 Accelerat pulchro nisu; vestigia summis
 Ausibus intendit majorum effingere magna.
 Moribus eximiis excultus, Pallade tota
 Eminent ornatus. Musis erit omine certo
 Gloria; sic opibus doctis ditescet abundis,
 Ut rutilis extat dives Pactolus arenis.

C

III. V. D.

III. V. D. THOMÆ OLCHAWSKI

Eridanus Italiae Fluvius.

Cum Lemmate: *Cælo gratissimus amnis.*

Virtutem comitatur honos & gloria factum,
 Laus operis comes est, at probitatis honor.
 Præmia pro meritis quis quando justa negaret?
 Quis plausu, titulis, destituisse velit?
 Præstantes virtute Viros; hæc gloria summa
 Est laudum series, elogiiq; decus
 OLCHAWSKI magnum; toto quod robore mentis
 Virtutem Superis terricolisq; simul
 Dilectam sequeris, virtutis munera multa
 Jam collecta tenes, esq; beatus eis.
 Hinc animi dotes, Tibi mentis gloria doctæ,
 Hinc morum gravitas, hinc bona quæq; fluunt.
 Aurifer Eridanus Cælo gratissimus amnis,
 Eximiis pretium dotibus ipse vehit.

IV. V. D. ANTONIO KOMOROWSKI

Padus Fluvius montis Vesulli.

Cum Lemmate: *Rivos è sidere ducit.*

Laudari fluvios si cupis exteros?
 Si fontes alios, flumina si velis?
 Orbem quæ rapido vortice permeant,
 Excelsis Cytharæ carminibus cani.
 Laudandi variam materiem dabunt
 Montes, saxa, quibus profluit undifer
 Fons, torrens, fluvius. Sed Padus unicus
 Distincta penitus laude superbiat.
 Solus namq; suos ducit ab æthere
 Ortus, ex nitidis sideribus fluit.
 Hic prorsus variis dignior amnibus,
 In magnæ celebres laudis adoras,

Mens cognata Polo quas meruit Tua,
 Quas dotes animi conspicuæ, vigil
 Annis à teneris in studio labor,
 Quas sincerus amor pro sapientia
 Quò certas nimium; gurgite sidera
 Effusus volucris patria provocans,
 Cedit nunc meritis in pretium Tuis,
 Dotes eximias sideribus Poli
 Desumptas. referet culmen ad altius,

V. V. D. JOSEPHO SZCZECHOWICZ

Hydaspes Fluvius Indiæ

Cum Lemmate: *Placidis prælabitur undis.*

Laudes flumine quò Tuas?
 Quo fundam elogia alveo
 SZCZECHOWICZ Tibi congrua?
 Ganges & Tagus aurifer,
 Pætolusq; potentior
 Gemmas fundere fulgidas,
 Juncto gurgite defluunt.
 Illos amnis Hydaspeus
 Præcurrit, placidus ruens
 Rivis. Hic animi Tuas
 Dotes eximii bonas,
 Hic mentis niveum decus,
 Hic aurum caput optimum,
 Hic suadæ latices Tuæ
 Suaves, hic pretio pari
 Mentis munera vividæ,
 Indos fundet ad ultimos.

VI. V. D. FRANCISCO MASIORSKI

Tagus Fluvius Lusitaniæ.

Cum Lemmate: *Tempestate sua pretiosus*

Longa mihi dubiam tenuit sententia mentem.
Qui fluvius, fons, torrens rivus dignior amnis
 Laudes promeritas Tibi fundet gurgite vasto,
 Nomen & innatos pariter FRANCISCÆ decores,
 Fluctibus auriferis revehet sub sidera Cæli?
 At quando dubio premitur mens anxia sensu,
 Aurifer ecce *Tagus* perblando murmure manans
 Occurrit; tum digna Tuis in symbola cedit
 Dotibus & meritis, hic sat bene congruus amnis.
 Tempestate sua pretiosus profluit ille,
 Tu gemmas aurum fluido profundis ab ore,
 Eurippi totum pretium gazasq; Sophorum.
 Mente capis doctâq; *Tago* simillimus extas.
 Ergo Tibi fortuna favens pretiosa refundat
 Munera, successus lætos successibus addat.

VII. V. D. ANDREÆ GLVZINSKI
 Hermus Fluvius Minoris Asiæ
 Cum Lemmate: *Dives propellitur unda.*

India dives opum pretiosis atq; fluentis
Dives Arabs, Asiæq; solum sæcundius undis
 Gemmiferis, Hispana Thetis tum Lydia tellus,
 Non amnes aurô tumidos, non flumina jactent,
 Quæ spumant gemmâs nitidâs & littora ditant.
 Cracius ecce Tibi Parnassus doctæ GLVZINSKI,
 Appretians pulchros animi quibus ipse decores
 Fulges, & magnæ mentis speciosa rependens
 Dona, quibus docilesq; Sophos, æquasq; Marones;
 Tullium & eloquiô clarum suadâq; potentem,
 Divinos meritum titulos summumq; Platonem;
 Ditibus undantem spumâs fulvâq; Saburrâ
 Hermum, Castalidum mediis effundit ab undis.
 Hôc Fluviô fortuna Tuos celer ac honor omnis,
 Ad nutus veniat, voveo Tibi corde faventi.

VIII. V. D. NICOLAO KONTVRKIEWICZ

Ticinus Fluvius Insubriæ.

Cum Lemmate *Secundo gurgite currit.*

Cesserunt aliis aurea flumina,
Amnes gemmiflui, rivus opum ferax,
NICOLAE Tibi modò,

Cedit nobilis ac Eridani comes
Fidus, qui *Ticini* nomine perfluit
Insubrum celer Insulas.

Est certe fluviûs inde celebrior
Famosis. Equidem gurgite prospero
Effundit latices suos.

NICOLAE Tuis laudibus hicerit
Promendis parilis. Sic labor anxius,
Vt solers studium Tibi,

Primos in stadio Palladis arduo,
Gressus sanguineis fluctibus obruit;
At æquor sapientiæ

Tranâsti medium, lasone Colchico
Longè prosperior. Celsius occupa
Littus, Musa vovet mea.

II. V. D. JOANNI NEPOMUCENO BAJER

PATRITIO CRACOVIANSI,

Ejusdem Laureæ Candidato,

Auctori Operis.

V. G A S P A R S Z A S T E R

Ejusdem Laureæ Candidatus,

In vim mutui affectûs

Offert Nilum Ægypti Fluvium.

Cum Lemmate: *Non est fecundior ullus.*

Æquore de vasto manantia flumina quævis,
Et quibus immêsus perfunditur ambitus Orbis,
Omnes cærulei tumido de gurgite Ponti,

D

Terrarum

Terrarum fluvios tacitis anfractibus ire,
 Sit plusquam certum; soli Pelagoq; Parentis
 Vndarum tribuatur honos. Est gloria *Nilo*,
 Quod maris immensi spatiosa mole fluentis
 Æmulus, ambustam torrenti sole Canopum.
 Quaq; Pharus sicibunda suis protenditur agris,
 Solus in Ægypti dominatur maxima Regna,
 Largifluo campos fecundans amne patentes,
 Solus & in septem diffunditur ostia *Nilus*.
 Hic Tibi lene fluens, quod non fecundior ullus
 Symbola digna refert fluvius, celebrande JOANNES
 Laudibus innumeris. Etenim Tu Carmina nobis
 Doctô fudisti calamo, laudesq; sonorô
 Concinnas metrô cecinisti. Tu velut ille,
 E multis famam, non uno fonte perennem
 Ducis. Es à Patria felix, ab origine clarus,
 Inclyta dignorum stirps progeniesq; Parentum.
 Ingeniô docili præstas, probitate refulges.
 Est Tibi pulchra Tuos redditq; modestia mores
 Laudandos, pariterq; facit constantia gratos.
 Eloquiô suavi polles, sermone disertio
 Vernas. Verba Tibi dulcis facundia format,
 Tuq; arcana Sophûm, subtili mente resolvis.
 Ampliùs ipsa dabit virtus encomia magna,
 Docibus ex ipsis BAIER laudaberis ultra.
 Ast ego cum nequeam paribus pro carmine culto,
 Respondere metris, Tibi credas corde faventi.
 Prospera quæq; precor, fortunæ dona secundæ
 Non rivis remeent, sed *Nili* flumine toto.



Permissu Magnifici Domini
 R E C T O R I S.



Biblioteka Jagiellońska



stdr0023091

